



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 114. An beneficiatus in Cathedrali vel Collegiata teneatur officia hebdomadaria aliasque functiones suo Beneficio annexas per seipsum præstare in Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

nullus Doctor contradicat, *Cened. Gutt. Gare.* p. 7
c. 15. à n. 11. *Castrop. T. 13. d. 4. p. 9. n. 4. Leur.* p. 1.
q. 762.

811 §. IV. Quid fieri debeat, quando fundatio requirit, ut providendus sit certo loco natus; Item ut sit civis certæ urbis; Item ut sit consanguineus; & an tunc conferri debeat proximiori, aut etiam conferri possit illegitimo, dictum est à n. 323. Quando autem fundatio dicit, ut aliquid fiat cum aut ex consilio, cum consensu, interventu, scientia, supplicatione alicujus, quid tunc fieri debeat, dictum est à n. 386.

812 §. V. Si fundatio dicat, assistat choro, ad hoc videtur teneri ex justitia, uti ex justitia tenetur legere Missas præscriptas, nempe ex vi contractus, *do, ut facias*, quem cum eo inivit fundator. Si autem fundatio dicat, ut in necessitate juvet Parochum, per necessitatem non videtur intelligi magnus concursus populi, sed tantum necessitas, quæ est, si Pastor sit æger vel absit aut aliter non possit ministrare Sacramenta, in tali autem concursu potest saltem cum aliis adjutoribus; & per accidens est nunc ita confluere populum: ita censuerunt duo viri docti à me interrogati. Denique si non adsit habens qualitatem à fundatione requisitam, potest quivis alius provideri, prout magis accedet ad mentem fundatoris secundum alias conditiones vel qualitates.

813 Q. 114. *An beneficiatus in Cathedrali vel Collegiata teneatur officia hebdomadaria aliasque functiones suo beneficio annexas per seipsum præstare in Ecclesia. R.* Affirmant *Zerol. Gare.* p. 3. c. 2. à n. 494. *Corr. l. 2. c. 14. n. 45.*, quia sic præcipit *Trid. de Ref. Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12.* Ideoque dicunt multi peccare mortaliter, si in hoc notabiliter deficiat; sed non credo *Trid.* in tanto rigore esse ubique in usu,
cùm

cum plurimi per substitutos faciant: si tamen quis faciat per seipsum, & in eadem Ecclesia habeat dignitatem cum beneficio, hæcque dignitas ac beneficium maneat duo beneficia, aut sint unita principaliter, præstari debent utraque onera & officia annexa, nisi eodem tempore concurrant, tunc enim unum peragi debet per substitutum. Et idem est, si unum sit alteri tantum ad vitam possidentis accessorie unitum, quia etiam tunc manent duo beneficia: si tamen in perpetuum sint accessorie unita cum extinctione inferioris tituli, tenetur tantum ad onera dignitatis. Vide *Leur.* p. 1. q. 419.

Q. 115. *Quid notandum sit circa beneficium requirens Sacerdotium, & qua tunc sint obligationes. R.* 214

§. I. Si verba requirentia Sacerdotium sint negativa, v. g. *nullus, nisi qui actu sit Sacerdos, habeat beneficium*, debet prius esse actu Sacerdos, quam obtineat beneficium, uti habet communis contra *Gonz.* Si sint affirmativa, v. g. *instituetur Sacerdos, qui Missas celebret*, graves DD. putant sufficere, quod sit Clericus aptus fieri Sacerdos, quia videtur tantum significari, quod debeat esse Sacerdos, quando Missæ erunt ex obligatione beneficii celebrandæ: Alii cum *Castrop.* t. 13. d. 1. p. 6. n. 12. & *Leur.* p. 1. q. 102. n. 1. dicunt prærequiri Sacerdotium, quia aliàs non habet qualitatem requisitam, nam esse aptum ad Sacerdotium non est simpliciter esse Sacerdotem; *Gonz. Garc.* p. 7. c. 1. n. 58. *Luca* de benef. d. 96. n. 18. tenent sufficere Sacerdotium aptitudine, si requiratur per legem, uti est in beneficiis parochialibus; si autem requiratur per hominem, uti est in foundationibus, tenent requiri Sacerdotium actu.

§. II. Si verba dicant, *instituetur, qui Missas celebret*, plerique dicunt fati esse & requiri, ut sit Cle-